

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

V. De spirituali pauperitate utili.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

opera, et remurmurans contradicat. Cum recordati fuerimus quam dulciter et sapienter et lætanter ore suo benedicto creavit [Deus] animam nostram spiritualiter, sensus prudenter, corpus utiliter, merito erubescimus de pravis moribus foris, et intus de infidelitate cordis. De sensibus nihilominus non immerito confundimur quod dona Dei sic vane gerimus, quod tam modicum fructum ad fontem referimus unde omnia effluxerunt. [hoc est, cor Dei. O væ mihi merito dolenti!] Ad locum debitum voluntas recta perducit omnia, licet mores corporis non permittant.

V. DE SPIRITALI PAUPERTATE UTILI.

V. 25.

UNUM est in virtutibus nobilissimum et coram Deo splendidissimum, et in hoc mundo cunctis quæ homo possidet acquirendum, *et hujus rei in cœlestibus mentio non habetur*, hoc est, ut homo in paupertate, in contemptu, in exilio, in infirmitate, velit, sciat et possit ex corde benedicere, cum gaudio gratias agere, desideria sursum erigere, et operibus collaudare. Superest quod gravius est, ut religiosa ac spirituali paupertate, in coactione obedientiæ, in multiplici mentis et corporis amaritudine, Deo laus, quemadmodum prædiximus, exsolvatur¹. Hæc in cœlesti patria hominem superexaltant et honore dignum faciunt ampliore: præminent enim aliis in laudatione, in dilectione, in claritate, in gaudio, in deliciis, in decoro, in divitiis, in fruitione beatitudinis (a) sempiternæ. Deus meus, interrogo te: quomodo sapit tibi laus et gratiarum actio, quam tibi turbatus homo offert sine omni *dilectionis* dulcedine. Audi quid nunc dicat: Ascendit sursum cum potentia, cuius honor magnus est et multiplicatur; cui cedit omne quod est, donec perveniat in locum sanctum Dei, ubi mirabilia operatur. Transit enim speculando tres personas et tangendo, et concitat facitque

1. *Alia hujus loci versio, originalem ad verbum reddens, in codice B, ad marginem, sic legitur: et quod gravius est, in spirituali paupertate, in coactione obedientiæ, in multiplici amaritudine interius et exterius, velit et possit et sciat in his laudare Deum, et cum gaudio gratias agere, et desiderio se in altum erigere et opere implere.*

(a.) Trinitatis. Cod. B. in marg.

in amore delectari sanctissimam Trinitatem. Eam vero qua tunc fruor suavitate, anima ipsa percipit, cui plene familiaris esse nequeo, nisi velit vacans et nuda in meis reponi [divinis] brachiis, ubi eidem alludens divinitus condecorator; propter hoc quippe parvulus factus, pauper, nudus et despectus et postremo mortuus, ejus me tradidi voluntati, ut velit proxima et dilectissima compar et socia mihi esse. Et erit sicut piscis in mari, et in aqua natans, anima ejus et corpus, in [mea sancta] Trinitate absorpta, ejusque dulcedine ebria et copiosissime satiata. Ubi tunc dolor et miseria quam pro me et propter me est persessa? Hæc est dulcis consolatio dexteræ Excelsi.

VI. DE INSIDIIS ; DE INIMICIS.

Qui rite se secundum attractionem Domini et cognitionem quam habet regeret, delicias maximas, quæ in cor hominis non ascendunt, et illustrationes quas non videt oculis, perciperet. Sic esset tamquam Angelus in omni vita sua amabilis et unitus Deo in omnibus viis suis, fieretque infernus diaboli regnum Dei. Cum autem homo justus tractiōnem derelinquit, immittit ei Angelum malum Dominus ut tentetur durius et excitetur a somno peccati otiosus. Verumtamen [dilectus noster Dominus] vires hosti subtrahit, et ne cadat protegit hominem et defendit. Inimicus autem concensem sibi potestatem reputans in hominem, nititur omni tempore ut ipsum valeat seducere. Væ mihi miseræ! quoties his insidiis in me studuit prævalere; ostenderat mihi Deus rem magnificam quam implere promiserat, de qua reddenda propter meam indignitatem diffusa, gratias agere [heu!] neglexi. Venit ergo diabolus volens mihi infligere pœnas, et dixi ei: Quid tibi vis? Vides quod Deus tecum est, et quomodo audes ipso præsente me punire. Respondit dæmon: Ego volo nunc sicut olim volui, sedem [meam juxta] suam [ponere], imo ipsum de sede animæ tuæ conabor depellere et in te residere; quin etiam cœlum, paradisum, purgatorium, terram, convertere cupio in infernum. Et dixi ei: Velles-ne ut

V. 29.